

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3725

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1270, février

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime la charte de Robert, comte de Leicester, par laquelle il confirme les donations faites à l'abbaye de Lyre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 775, p. 177-178.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 416 (charte vidimée du comte de Leicester).

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Roberti, quondam comitis Leycestrie, vidimus in hec verba :

Robertus comes Leircestrie, Ernaldo de Bosco et omnibus baronibus, militibus, baillivis et ministris suis in Normannia salutem. Sciatis quod ego, pro amore Dei, concedo et confirmo monachis meis de Lira, omnes elemosinas quas habent in terra mea in Normannia, et volo et firmiter precipio quod illas teneant et possideant bene et in pace, libere et quiete, et nominatim decimas septimanas in prepositura Britholii, Nove lire, Glot', Pascei, ita quod habeant servientes suos et custodes ad custodiendas illas, et habeant in suis quicquid habeo in meis septimanis, in consuetudinibus, in placitis, in forisfactis, in molendinis et in omnibus rebus, ita quidem quod in molendinis nichil ponant de suo, si confringantur in suis septimanis, sed de meo reparentur. Preterea concedo eis quartum denarium de Nova lira, et decimam census predictarum quatuor villarum. Concedo quoque eis et confirmo decimam plenarie de omnibus exitibus foreste de Britholio, et quod habeant de foresta ad ignem eorum quantum necesse fuerit sine liberatione, et ad domos et grangias eorum faciendas, quantum necesse fuerit, sed hoc per visum et liberationem baillivi mei de foresta, et quod habeant pasturam animalibus suis et porcis dominicis in foresta, et porcos quietos de pasnagio. Concedo quoque eis et confirmo omnia heremitagia in foresta de Britholio, ita quod nullus rector sit in eis, nisi per ipsos monachos, et quod disponant de eis ad voluntatem ipsorum. Concedo quoque eis et confirmo decimam et reddecimam de omnibus terris meis et omnibus censibus et redditibus meis in Valle Andele et decimam et reddecimam de omnibus exitibus foreste de Longoboello, et quod servientes eorum in domibus eorum ibidem residentes habeant de ipsa foresta ad ignem eorum et ad domos et grangias ibidem faciendas, quantum necesse fuerit, et quod habeant pasturam in ipsa foresta animalibus et porcis suis dominicis, et porcos suos quietos de pasnagio. Concedo etiam eis heremitagium Sancti Augustini cum pertinentiis suis. Concedo quoque

eis et confirmo decimam de omnibus exitibus bosci parvi ad Pasceium, et decimam de omnibus exitibus foreste de Mere, et quod monachus vel serviens eorum apud Pasceium residens habeat in ipsa foresta consuetudinem et usagium suum. Concedo quoque eis quod habeant septem de servientibus suis liberos in bosco et in plano, et quinque burgenses de Veteri Lira, quoscumque voluerint, liberos per totam terram meam. Concedo quoque eis et confirmo quod habeant tales libertates in terris et hominibus suis, quales ego habeo in meis, prohibeoque ne quis de heredibus meis vel baillivis meis super predictis elemosinis et libertatibus injuriam vel molestiam eis faciat. Teste Amicia comitissa apud Leircestriam.

In cuius rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini M<sup>o</sup> ducentesimo sexagesimo nono, mense februario.